



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]
voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

Tit. III. De Foro Competenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

commiserit, deliqueritve, cum eo, quicumque sit, ad præscriptum eiusdem constitutionis agatur.

DE OFFICIO IUDICIS. Tit. II.

Pupillorum, viduarum, & egentium patrocinator deligendus.
Cap. I.



PUPILLORVM, viduarum, & egentium hominum, cura, Episcopo, communi omnium parenti, sacrosanctis Canonum legibus, potissimum commendata & commissa, negligi non debet: ne si legatur, Vociferentur ad Dominum, qui exaudiet clamorem eorum. Quamobrem pro sui muneris officio Episcopus aliquem constituat Ecclesiasticum, vel alium pium hominem, Christianæ charitatis operibus, atque officijs deditum, qui misericordiæ viscera indutus, id generis hominum patrociniū in omni causa suscipiat. Quod si aliqui iam huic pio operi præfati sint, id agat Episcopus, ut ij munus sibi creditum exequantur, quam diligentissime.

DE FORO COMPETENTI. Tit. III.

Clericus in aliena à sua diœcesi delinquens, & profugus qualiter proprio Episcopo transmittendus. Cap. I.



EPISCOPVS, vel Vicarius clericum alienum, qui in propria diœcesi deliquerit, & ad suam diœcesim confugerit, proprio illius Episcopo petente, & sibi de Clerici, qui deliquit, citatione, & contumacia, aut condemnatione fidem mittente, comprehendendi, & ad illum mitti curet, idq; sumptibus petentis.

Qui inferiores Episcopis causas criminum, & matrimoniorum cognoscere nequeant. Cap. I I.

Quicumque in dignitate Ecclesiastica constituti, etiam exempti, qui intra fines diœcesis sunt, & reliqui præterea inferiores Episcopo, nè privilegiorum, consuetudinive prætextu, matrimoniorum, & criminum item causas, tiam visitando cognoscant; sed Episcopi iurisdictioni, iudiciove relinquunt, id præscriptum Concilij Tridentini.

Seff. 24
c. 25. ver
Ad hæc,
de refor.

Non tamen Abbates, quibus aliàs legitime talis iurisdictione competit, alijve inferiores, si de immemorabili consuetudine eiusmodi legitime doceant, quominus de his etiam causis cognoscant prohibeantur.